



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 2. Quomodo dividitur Jus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## CAPUT II.

*De Jure.*Q. 1. *Quid est Jus?*

*Resp.* **J**us formale, cui respondet debitum rigorosum, est potestas legitima ad aliquid, cuius violatio obligat ad restitutionem, vel satisfactionem, vel poenam, quæ possit exigi à lœso.

Dicitur 1. *Legitima*, id est, lege aliquâ concessa, vel legi conformis, vel justo titulo nixa.

2. *Ad aliquid*, scilicet retinendum, obtainendum, agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum, aut fruendum aliqua re, vel de ea disponendum.

Q. 2. *Quomodo dividitur Jus?*

*Resp.* Dividitur 1. in *Jus in re*, seu *reale*, quod est potestas legitima circa rem sibi obligatam, & suam factam, id eoque dat actionem in rem ipsam, ita ut possit res illa vindicari, ac repeti ubique fuerit; & in *Jus ad rem*, quod est potestas legitima ad obtainendam, sibi obligeandam rem nondum sibi obligatam, seu factam suam, id eoque non parit actionem in rem, sed in personam, quæ illam debet. Sive *Jus in re* est *Jus*, quod quis habet in re, ut jam suâ factâ, & dat actionem realem. *Jus ad rem* est *Jus*, quod quis habet ut res aliqua fiat sua, & parit actionem personalem. Actio autem hîc est *Jus prosequendi* in judicio

D 5 id,

id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Div.  
2. In varias species.

**Q. 3.** Quænam sunt species Juris realis?

Resp. Sunt Dominium, usus, ususfructus, servitus, Emphiteusis, feudum, Pignus, & Hypotheca, quibus affinis est possellio; hic aliqua, cæteræ alibi exponentur.

### §. I.

#### De Dominio.

**Q. 1.** **Q**uid est Dominium, & quotplex?

Resp. **Q**uod est Dominium in genere est Jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, unde duplex est, Jurisdictionis, & proprietatis. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, prohibendo, judicando, puniendo, &c. Duplex est, aliud politicum, seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in Regibus, & aliis Principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa & Episcopis, &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, remunerare.

Dominium proprietatis, de quo solo hic agitur, est Jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu suo nomine, arbitratu, & au-

&c.